

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,  
DE  
VOLUPTATE,

utrum in eâ  
SUMMUM BONUM HUMANUM  
CONSISTAT NEC NE?

expendens.

*Quam*

DEO AUXILIANTE  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,*  
DOMINO FRIDERICO  
WILHELMO,

REGNI BORUSSIACI, ET ELECTORATUS  
BRANDENBURGICI HÆREDE. &c. &c. &c.  
*CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ*  
IN ACADEMIA AD PREGELAM REGIA,  
PRÆSIDE

M. JOH. ERNESTO SEGERS,

Reg. Alumn. & Comm. Convict. Inspect. Secund.

*Publicè ventilandam proponit*

JOHANNES Friderich / Reg. Pruss.  
IN AUDITORIO PHILOSOPHICO

ANNO MDCCIII. die Julii.

*Horis solitis.*

---

R E G I O M O N T I,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SAC. REG. MAJ. & ACAD.

Typogr. Hæredum.

coll. diss. A  
12, 53

*Jg.*

*a. C. XII. 53.*

D

E

O

P

A

T

R

I

E

ET

P

A

T

R

O-

N

I

S.

Sächs.  
Landes-  
Bibl.

**D**E Voluptate variæ ac diversæ Veterum prostant Sententiæ, inter quas haud est infima Forum, qui in VOLUPTATE SUMMUM BONUM HUMANUM collocarunt, quorum Opinionem præfenti Dissertatione brevibus disquirere atque examinare nobis animus est. Cum autem Voluptas *alia sit Corporis*, quæ ex sensuali rerum perceptione oritur; *alia Animi*, quæ tum ex Rerum contemplatione, tum ex Actione secundum virtutem exsurgit; Nonnulli in hæc, alii in illâ S. B. ponendum atque quærendum esse, existimarunt. Aristoteles L. I. Ethic. cap. 3. DE MULTITUDINE atque his, qui parum aut nihil supra vulgus sapiunt, *Φορτικώτατοις*, ut ipse loquitur, i. e. Interprete, Antoniô Muretô Comment. in h. l. pag. m. 62. & 63. *hominibus abjectis, vilioribus ac sordidis*, testatur; quod *Voluptatem & quidem corporis* tanquam S. B. sectari atque amplecti soliti fuerint, idque exinde, quoniam multos ex iis, qui in Potestatibus sunt constituti, atque in summis versantur Dignitatibus, aliisque imperant, cœcô affectuum impetu agitari & dissolutam, perinde ac Sardanapalus, vitam traducere, animadverterunt. Cujus hoc fuisse Epitaphium perhibetur: *Ede, bibe, lude, reliqua ne quidem digitorum strepitu digna sunt.* Confer. *Athenæus* L. XII. Deipnosoph. cap. 7. p. m. 529. & seqq. Edit. Lugdunens. ab Anno 1657. in fol. nec non *Cicero* L. V. Tuscul. Qq. num. 31. p. m. 192. Tom. IV. Oper. Fedit. Lugd. ab An. 1577. in Fol. *Diodorus Siculus* L. II. Biblioth. cap 23. *Strabo* L. XIV. Geograph. p. m. 769. Edit. Basil. græc. lat. ab An. 1571. in Fol. *Suidas* in Lexico sub voce *σαρδανάπυλος* p. 716. Tom. II. Edit. Colon. Græc. Lat. ab Anno 1619. in fol. *Clemens Alexandrinus* L. II. Strom. p. m. 411. D. Fedit. Colon. Græco-Lat. ab

4  
Anno 1688. in Fol. & alii. Pertinet hūc etiam *Sotionis* illa sen-  
tentia apud *Athenaeum* L. VIII. Deipnosoph. cap. 3. p. m. 336.

-- -- -- -- *Ventre nihil jucundius,*  
*Is tibi solus Pater esto, rursumq; Mater.*  
*Virtutes, Legationes, Exercituum Imperia,*  
*Inanes Fastus nobis obstrepunt tanquam somnia.*  
*Fatali hora te perstringet Deus:*  
*Sola tua futura sunt, quae comederis ac biberis,*  
*Reliqua cinis &c.*

*Sophocles* insuper in *Antigone* apud *Athenaeum* L. XII. cap. 12.  
p. m. 547.

*Voluptatem enim, inquit,*  
*Homines si deserant, illos non puto ego*  
*Vivere, sed animata esse cadavera.*

Nec discrepat ab his illud *Menandri* in *Adelphis* apud *Stobaeum*  
Serm. LIV. qui est de *Agriculturâ* quod bona sit:

Τὸ μὲν τρέφει με, τὸτ' ἔγω κείνω θεῶν  
*Quod me nutrit, id ego judico Deum.*

Denique & *Polyphemus* ille apud *Euripidem* in *Cyclope* versu  
333. & seqq.

*Ego nulli maōto praterquam mihi (non diis)*  
*Et ventri huic, qui maximus est Deorum,*  
*Quia comedere & bibere quotidie,*  
*Id vero Jupiter est hominibus Sapientibus.*  
*Et nihil angere &c.*

Horum *Æmulus* Majorum memoria fuit *FRIDERICUS*, qui-  
dam *Ciliae* in *Stiriâ* Comes, teste *Aenea Sylvio* ad *Panormita-*  
*num* de *Dictis & Factis Alphonsi* L. I. cap. 19. Hic amore *Con-*  
*cubinæ* *Uxorem* propriam interfecit, atque dehinc inter  
*scorta* vitam agens turpissimam vitâ decessit. Dixerat au-  
tem huic amicissimus quidam: *Annū supra nonagesimum*

*agis,*

nec minus voluptati servis, ac si adolescens esses. Age, jam de sepulchrò cogita. Cui ille istuc, inquiebat, ago: Nam sepulchrali Marmorì hoc Epigramma insculpendum statui. Hæc mihi Porta est ad Inferos. Quid illic reperiam, nescio: Scio, qua reliqui. Abundavi Bonis omnibus, ex quibus nihil fero mecum, nec quod bibi atque edi, quodque inexhausta voluptas exhausit. H. I.

§. II. Illud verò mirari subit, fuisse etiam inter eos, qui se PHILOSOPHOS profitebantur, aliquos eò delirationis progressos, ut Voluptatem non tantum animi, sed etiam Corporis ad illum dignitatis gradum evehere & in eâ S. B. H. collocare non erubescerent. Expressit hoc sine dubio M. T. Ciceroni istam vocem, ut dicere haud dubitaverit, nihil esse tam absurdum, quod non aliquis dixerit Philosophorum L. II. de Divinat. num. 27. p. m. 297. Tom. IV. Oper. Fuit inter illos primus ARISTIPPUS CYRENÆUS, Socratis quidem, sed admodum degener hac in parte discipulus, qui ipsam Felicitatem quasi singularum Voluptatum quandam dixit Collectionem, uti constat ex Diogenis Laërtii L. II. de Vit. Philosoph. Segm. 87. p. m. 130. & 131. Edit. Amstelod. ab Anno 1692. in Q. Conf. Cicero L. II. de Finib. p. m. 54. & seqq. & L. II. Tuscul. Qq. num. 6. p. m. 138. Tom. IV. Oper. Suidas in Lexicò sub voce Ἀριστιππῶ p. 428. & Ἡδονῆ p. 1168. Tom. I. Oper. Item Athenæus L. XII. Deipnosoph. p. m. 544. A. Secuti sunt Aristippum CALLIPHON ET DINOMACHUS, CYRENAICI, nec non DIODORUS ET HIERONYMUS RHODIUS, teste Lactantio L. III. Divin. Institut. cap. 7. p. m. 225. Edit. Oxon. ab Anno 1684. in octav. Atque hinc Secta hæc ἠδονικὴ fuit dicta, Voluptuaria, à fine, quod S. B. H. poneret in voluptate, testis est hujus rei Galenus, vel quicumque Autor est Historiæ Philosophicæ Cap. de Cognominibus Philosophiæ, ubi ita: Secta ab Aristippo inventa, Cyrenaica, dicta fuit

*ἡδονικὴν voluptuaria, quod voluptatem Philosophia finem statuerit Aristippus.* Addit tamen hic Autor, putare aliquos per voluptatem eos insinuasse, non illam sensuum motione excitatam dulcedinem, sed eum animi statum, qui molestiæ sit expers, nec ullis illecebris mulceatur. Porro ut ex hac Secta prodierunt, sic cum illis in eadem sententiâ fuerunt & HEGESIACI, ab Hegesiâ, qui ἡγεσιᾶς est dictus, de quo videantur Cicero L. I. Tuscul. Qq. num. 30. p. m. 128. & 129. Tom. IV. Oper. & Valerius Maximus L. VIII. cap. 9. oriundi: Sic enim iterum Laërtius in Vitâ Aristippi L. II. Segm. 93. p. m. 135. *ii, qui dicuntur Hegesiaci, eandem de voluptate ac dolore habuere sententiam.* Sed & ANNICERII, ab Anniceride, cujus & Strabo mentionem facit L. XVII. Geograph. cap. 20. p. m. 972. provenientes, his consenserunt. *Annicerii, inquit, Diogenes Laërtius loc. cit. segm. 96. p. m. 136. in cæteris ab istis non dissentiunt.* Idem confirmat & Clemens Alexandrinus L. II. Strom. p. m. 417. B. *Qui, inquit, vocantur Annicerii ex successione Cyrenaicâ, nullum totius vitæ finem terminatum statuerunt; uniuscujusq; actionis proprium esse finem, nempe eam, quæ ex actione efficitur, voluptatem.* Pariter & EVIDOXUS, Æschinis filius ac Platonis Auditor, Voluptatem ipsum appellavit Summum Bonum, referente Aristotele L. X. Ethic. cap. 2. Conf. Diogenes Laërtius L. VIII. de Vit. Philos. segm. 88. p. m. 545. Ulterius & EPICURUM in Voluptate sive Corporis sive Animi S. collocasse B. autor est Cicero L. I. de Finib. bonor. & malor. num. 14. p. m. 43. & seqq. L. III. Tuscul. Qq. num. 17. p. m. 154. & seqq. Tom. IV. Oper. & alibi. Vid. Plutarchi Commentarius, qui docet, ne svaviter quidem vivi posse secundum Epicuri decreta, Tom. II. Oper. p. m. 1087. & seqq. Edit. Franc. ab An. 1620. in Fol. A. Gellius Lib. IX. Noct. Attic. cap. 5. Diogenes Laërtius L. X. de vit. Philosoph. segm. 128. pag. m. 657. Petrus Gassendus

*aus*

*duis* in Syntagm. Philosoph. Epicuri Part. III. cap. 3. & alii. Pejor autem his omnibus fuit CERINTHUS, *Ecclesie Perduellis & Satanae Primarches*, Seculo statim I. post Christum natum, temporibus adhuc Apostolorum, praesertim Johannis Evangelistae, exortus, qui cum Aseclis suis, non tantum hujus Vitae Felicitatem, sed & Futurae Aeternae in Corporis Voluptatibus ac Illecebris collandam esse, pessime pronunciauit. Ita enim de eo refert *Eusebius* L. III. Histor. Eccles. cap. 28. ex *Dionysii* Episcopi Alexandrini L. III. de Promissionibus. *Haec fuit illius (nempe Cerinthi) opinio. Regnum Christi terrenum futurum. Et quarum rerum cupiditate ipse flagrabat, utpote voluptatibus corporis obnoxius, carniq; addictus, in iis Regnum Dei situm fore somniavit, in ventris & earum, quae infra ventrem sunt, partium explenda libidine: h. e. in cibo & potu ac nuptiis, atq; ut honestiori vocabulo ejusmodi voluptates velaret in Festis & Sacrificiis & Hostiarum maetationibus. Vid. L. VII. cap. 25. Nicephorus* L. III. Histor. Eccles. cap. 14. & *Sixtus Senensis* L. V. Biblioth. annot. 233. p. m. 515. C. Idem quoque legitur & de aliis Haereticis apud Scriptores Historiae Ecclesiasticae, veluti de SIMONIANIS, CARPOCRATIANIS & VALENTINIANIS, apud *Theodoretum* L. I. Haereticarum Fabularum cap. 1. 5. & 7. De FLORIANIS apud *Philastrium* L. de Haesib. Sect. III. De MUHAMEDANIS tandem notissimum est, nec ipsos vereri summam Futurae Beatitudinis perfectionem, cujus spe, qua tales, frustra ducuntur, in omnimoda voluptatum corporis fruitione ponere, id enim abunde satis declarat ipsorum Alkoranus pluribus in locis, quorum aliqua adducit *Christ. Kortholtus* in Dissert. de Relig. Muhamedana §. 8.

§. III. Verum diu jam est explosa haec de Voluptate atque Summo Bono tam paradoxa & ex parte scelerata opinio. **Quod enim CORPORIS VOLUPTATES** concernit, illae

illæ ne quidem titulum Summi Boni merentur, est quippe S. B. C. *hominis proprium*, quoniam ultimus Actionum humanarum Finis existit, juxta I. Ethic. cap. 1. Finis vero est usus proprius, uti apparet ex I. Polit. cap. 9. atque hinc etiam S. hocce B. appellatur Humanum, quia in propriâ hominis, quâ talis, actione consistit, sicque ejus proprium est. Vid. *Aristoteles* lib. I. Ethic. cap. 6. & *Eustratii* Comment. in h. l. p. m. 66. & seqq. nec non *Donatus Acciajolus* in h. l. pag. m. 55. & seqq. Voluptas autem Corporis homini non est propria, sed communis cum Animantibus Brutis. Unde *Aristoteles* hujusmodi vitam voluptuosam, *βασικημάτων βίον* appellat. I. Ethic. cap. 3. Eleganter hanc in rem *Maximus Tyrius* loquitur *Disser. XXXII.* p. m. 323. *Voluptate*, inquit, *& Bos & Asinus & Sus afficitur & Simius.* Vide jam quò locò ponas hominem, quos illi socios bonorum adjungas. Et *Lactantius* L. III. *Divin. Instit.* cap. 8. p. m. 227. *Aristippo*, ait, *ne respondendum quidem duco, quem in corporis semper voluptates ruentem, nihilq; aliud quam Venti & Veneri servientem, nemini dubium est hominem non fuisse: sic enim vixit, ut nihil inter eum pecudemq; distaret, nisi unum, quod loquebatur & c.* Conf. *Seneca* L. de Vita Beata cap. 5. & *Ep. XCII.* Item *Boëthius* L. III. de *Consol. Philosoph.* Prosa 7. p. m. 1031. Edit. Basil. ab Anno 1570. in fol. Quin ipsa Animantia Bruta sæpiùs superant Hominem sensuum acumine & integritate, juxta tritum illud:

*Nos Aper auditu, nos vincit Aranea tactu,  
Vincit odore Canis, Lynx visu, Simia gustu.*

Ideoque Voluptatibus Corporis quæ ex sensibus proveniunt, majori fruuntur gradu. Absit igitur, ut in his S. atque proprium Hominis B. collocemus.

§. IV. Præterea S. B. *Hominem perficit*, imò *summa ejus perfectio* existit. Cum enim uniuscujusque rei, à quâ manat  
pro-



propria aliqua Operatio, Perfectio in hâc ejus propriâ Operatione consistat, sicuti id fusiùs inductione probat *Aristoteles*, I. Ethic. cap. 6. & ex eò *Rob. Balfourens* Comment. in h. l. p. m. 54. S. autem B. Hominis quâ talis, propria quædam sit Operatio, ceu paulò ante dictum, in eò sinè dubiò summa ejus perfectio sita erit. Atque hinc etiam S. B. C. *τελειότατον ὄν*, perfectissimum quid *Aristoteli* appellatur L. I. M. M. cap. 3. & I. Ethic. cap. 5. non tantùm, quia in se & suâ naturâ perfectum existit, sed etiam propterea, quod eum, cui obtingit, maximè perficiat. Jam autem, quod Corporis voluptates attinet, tantum abest, ut Hominem perficiant, ut potiùs humanam Naturam evertant, omniaque Bonorum genera in homine destruant, quandoquidem & ipsum Corpus debilitant & Lumen rectæ Rationis obfuscant, & rectos corrumpunt Mores & ingenuam Mortalium Indolem brutis persæpè animantibus similem efficiunt, brevibus: *Mater omnium Malorum* ut plurimum existunt. Scitè admodum hâc de re ex mente *Archyta Tarentini*, magni atque præclari Viri, differit *Cicero* in *Catone* majore sive de *Seneclute* Dialogo num. 36. p. m. 411. Tom. IV. Oper. *Nullam*, inquit, *capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem hominibus dicebat* (*Archytas* nimirum) *à natura datam.* -- *Hinc Patriæ Proditiones, hinc Rerumpublicarum Eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci dicebat: nullum denique scelus, nullum magnum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido Voluptatis impelleret. Stupra verò & adulteria & omne tale flagitium, nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptate. Cumquè homini sive Natura, sive quis Deus, nihil mente præstabilius dedisset, huic divino muneri atque dono nihil esse tam inimicum quam voluptatem. Nec enim libidine dominante, Temperantiæ locum esse omninò, nec in voluptatis regno Virtutem*

B

posse

posse consistere; quod quò magis intelligi posset, fingere animò aliquè  
 jubebat, tantà incitatum voluptate corporis, quanta percipi pos-  
 set maxima, nemini censebat fore dubium, quin tamdiu, dum ita  
 gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione  
 consequi posset. Quocirca nihil esse tam detestabile, tamque  
 pestiferum quàm voluptatem. Siquidem ea cum major esset  
 atque longior, omne animi Lumen extingueret. Addimus Au-  
 gustinum, qui pariter voluptatis incommoda olim à Cice-  
 rone in Hortensio (cujus libri copiam amplius non habe-  
 mus) summatim collecta hisce verbis recenset, L. IV. contra  
 Julianum c. 14. *An verò, inquit, voluptates corporis expetenda,*  
*que verè & graviter à Platone dictæ sunt illecebræ atque esca*  
*malorum? que enim confectio est valetudinis, que deformatio*  
*coloris & corporis, quod turpe damnum, quod dedecus, quod non*  
*evocetur, atque eliciatur voluptate? Cujus motus, ut quisque*  
*est maximus, ita est inimicissimus Philosophiæ. Congruere enim*  
*cum cogitatione magnâ voluptas corporis non potest. Quis enim*  
*cum utatur voluptate eâ, quâ nulla possit major esse, attendere*  
*animum, inire rationem, cogitare animò quidquam potest? quis*  
*autem tantus est gurgis, qui dies & noctes sine ullâ minimi cor-*  
*poris intermissione velit ita moveri suos sensus, ut moventur in*  
*summis voluptatibus? quis autem bonâ mente præditus non*  
*mallet nullas omninò nobis à naturâ voluptates datas. Conf.*  
*de Pythagora Jamblichus in Vita Fijus p. m. 176. Edit. Come-*  
*lin. Græco-Lat. ab Anno 1598. in Q. Plato in Epist. III. ad*  
*Dionysium scriptâ, quæ inter Opera ipsius legitur p. m. 127r.*  
*Philo Judæus L. de Mundi Opificio p. m. 38. & L. II. Alle-*  
*gor. Leg. p. m. 94. D. Edit. Franc. græc. Lat. ab Anno 169r.*  
*in Fol. Seneca L. de Vita Beata cap. 13. & Epist. XXXIX. Adeò*  
*noxia, adeò pernitiôsâ Corporis Voluptas Humano existit*  
 Ge-

Generi, quam absurdum igitur foret, eandem S. Hominis B. appellare, ex dictis dispalescit.

§. V. Tandem quod ultimò notamus locò, S. B. est *μόνιμον π*, i. e. *stabile, firmum & maxime diuturnum*, juxta I. Ethic. cap. XI. Est enim Operatio secundum virtutem perfectam I. Ethic. cap. 6. adeoque ex Habitu quòdam progreditur. *Habitus autem est Qualitas difficulter mobilis*, ceu patet ex L. Categor. cap. 8. Hinc & Cicero L. V. Tuscul. Qq. num. 17. p. m. 183. Tom. IV. Oper. *Nihil, inquit, inveterascere, nihil extinguere, nihil cadere debet eorum, in quibus Beata Vita consistit.* Et L. II. de Finibus num. 35. p. m. 65. *si, inquit, amitti Beata Vita potest, beata esse non potest.* Confer. *Andronicus Rhodius* in Paraphrasi L. I. Ethic. Arist. cap. 17. p. m. 43. Edit. Cantabrig. ab Anno 1677. in Octav. Et *Acciajulus* Comment. in I. Ethic. p. m. 93. 94. &c. Insuper S. B. *omnis doloris atque molestiae expers est*, cum enim sit *ἀνταρξὴς*, i. e. *sibi sufficiens Bonum & nullius rei indigum*, hinc etiam maximè expetibile existit, juxta I. Ethic. cap. 5. atque sic cum dolore aut molestià nequit esse conjunctum, abhorret enim & averfatur Animalis Natura, quæ ipsis videntur dolorifera aut molesta. Neutrum jam de Voluptatibus Corporis affirmari potest, quippe quæ sunt fluxæ, fugaces & momentaneæ, inde individuum sæpè Comitem multifarium habent dolorem. *Fugit voluptas Corporis & prima queque avolat, sæpiusque relinquit causas pœnitendi*, inquit Cicero L. II. de Fin. p. m. 69. Tom. IV. Oper. Et *Seneca* L. de Vita Beata cap. 7. *Voluptas tum, cum maximè delectat, extinguitur. Nec multum loci habet, itaque citò implet, & tædio est, & post primum impetum marcet.* Nec non L. de Consol. ad Polybium cap. 29. *Citò, inquit, nos omnis voluptas relinquit, quæ fluit & transit, & penè antequam veniat aufertur.* Jun-

gimus his *Maximum Tyrium*, qui Dissert. XXXIV. p. m. 341. ita breviter, sed nervosè de voluptate loquitur: *χερὶς ἡδονῆς λυπὴν γέννᾳ*, i. e. *qua diutiùs perseverat voluptas, fit molesta.* Agmen claudat Comicus ille Poëta, *Plautus* in *Amphitr.* scen. II. ita canens:

*Ita Dīs Placitum, Voluptati ut mæror comes consequatur.*

Vid. *Seneca* L. VII. de *Benefic.* cap. 2. & *Epist.* XXVII. Ex his igitur satis manifestum est, *Voluptates Corporis* ne quidem *Titulum S. B.* sustinere ac tueri posse.

§. VI. Sed nec *ANIMI VOLUPTAS*, quæ tum ex rerum Contemplatione, tum ex actione secundum *Virtutem* exurgit, eò titulò est ornanda. Nam (1) *S. B. H.* est *ultimus* Actionum humanarum *finis*, quod fuse probat *Aristoteles* I. *Ethic.* cap. 1. & ex eò *VIR ILLUSTRIS* atque *GENERO-SUS* DN. JOH. GEORG. à GÖTZEN, quondam in hac nostrâ *Academia Philosophiæ* Doctòr celeberrimus, nunc verò *Supremi Judicii Aulici Consiliarius* gravissimus, in *Palæstra* III. *Theorem. Polit.* § I. II. & III. Unde consequitur *S. B.* *propter se* expeti, minimè verò propter aliud, quod si enim propter aliud expeteretur, *ultimus finis* dici non posset, quippe cum *ultimi & finis ratio* sit *terminare, non autem terminari*, ceu acutè loquitur *Philippus Scherbius* in *Philosoph. Altorph. Dissertat. pro Philosophiâ Peripateticâ adversus Ramistas* cap. 10. p. 33. Confer. *Aristoteles* L. VI. *Top.* cap. 8. §. 2. II, *Physic.* cap. 2. V. *Metaph.* cap. 16. & I. *Eth.* cap. 5. & in h. l. *Eustratius* p. m. 62. *In Bonis, quæ propter se nec propter aliud solent expeti, recensetur planè Beatitudo: illius enim gratiâ reliqua expetimus, eam vero ipsam nulliùs alteriùs gratiâ,* sunt verba *Archytæ Pythagoræ* in *L. de virò bonò & bea-*

bea-

beatô apud *Stobaeum* Serm. I. de Virtute. Ast uti nulla voluptas, ita nec Animi propter se & ultimò appetitur, eandem enim Natura Animantibus propter Actiones ipsas indidit, ut per illam ad hoc vel illud agendum aut faciendum incitarentur. Sanè absurdum foret dicere, nos ali, non ut servemur in vitâ, sed ob Voluptatem, quæ ex sumptione alimenti nascitur, ut benè monet *Alexander Aphrodis.* L. IV. Natur. Quæst. cap. 23. Pariter & voluptas, quæ ex Rebus venereis percipitur, alteriùs gratiâ disseminata est, nempe ob Sobolis procreationem, ut voluptate incitata Animalia ad conjunctionem non sint segnia, ne Genus ipsorum intereat, sed conservetur. Scilicet, ut sal non propter se, sed ad condiendos cibos adhibetur, sic & Voluptates Animalibus datae sunt operationum gratiâ, ut his tantò promptiùs invigilarent. Quemadmodum autem cum his, ita & cum Voluptate, quæ ex rerum Contemplatione & Actione secundum Virtutem oritur, comparatum est. Et hæc ad ipsam actionem secundum virtutem est ordinata, ut per eandem ad agendum secundum virtutem impellamur. Verè igitur dixit *Aristoteles*: *Voluptas functiones muneris (τὰς ἐνεργείας) perficit atque absolvit, & vitam quoque quam omnes expetunt, non temerè igitur etiam voluptatem appetunt. Vitam enim, quæ cuique optabilis est, perficit.* Lib. X. Ethic. cap. 4. Idem asserit *Alexander Aphrodis.* L. IV. Natur. Quæst. cap. 26. ita scribens: *Honestum nequaquam in gratiam Voluptatis sed voluptas in gratiam honesti appeti debet, & ab honesto accipit suam perfectionem, conditionemque boni, non vice versa.* Quod si igitur nec Voluptas Animi propter se, sed propter Actionem expetitur, S. B. dici haud poterit.

§. VII. Ulterius (2) nemo Hominum exinde simpliciter & absolutè bonus appellatur, quia Voluptate aliquâ Animi af-

B 3

ficitur,

ficitur, sed quia honestè agit. Sicuti enim non ex eò perfectus quis dicitur Artifex, quod inter operandum aut opere peractò, super eò voluptate perfundatur, sed quia promptè & secundum artem opus suum producit, vel etiam nihil eorum intermittit, quæ sui sunt officii; ita quoque nec ex eò bonus quispiam audit, quod actionis suæ voluptatem sentiat, sed quod actio ipsa honestati, seu rectæ Rationi consentanea sit. *Bonus existimandus est, qui perfectissimam actionem juxta mentem separabilem conservat, & participationem intelligibilis pulchritudinis suscipit, ac essentia potentiaq; Dei particeps est,* inquit *Jamblichus apud Stobæum Serm. XXXV. de Bonitate p. m. 233.* Equidem Signum aliquod Voluptas Animi existit, unde quis cognoscere potest, se virtute præditum & bonum esse, si enim ex Actionibus secundum Virtutem Voluptatem capiat, Virtuofum, contra si dolorem sentiat, Vitiosum se esse, firmiter inde concludere potest, cum *quisq; eâ re, cujus amans & studiosus est, delectetur & ex eâ voluptatem capiat,* docente Philosopho L. I. Eth. c. 9. Qui etiam propterea ibidem addit: *Qui bonis actionibus non delectatur, bonus minimè est. Neq; enim vel justum quempiam dixeris, qui justè agendo non delectetur: vel liberalem, qui liberalibus actionibus non gaudeat: & in aliis simili modò.* Propterea tamen non sortitur statim ipsam Boni aut Virtuosi denominationem à Voluptate, sed potius ab Actione, cui Voluptas est annexa. Jam autem ex S. B. reddimur & denominamur *Boni*, imò *Optimi & Beati*, id quod *Seneca* perspicuè innuit, quando Epist. LXXVI. ita scribit: *Id in homine proprium solumq; bonum est, quò probatur & improbat.* Clariùs adhuc hanc in rem loquitur *Euryphamus Pythagoricus* in L. de Vita apud *Stobæum* Serm. CI. qui est de Felicitate p. m. 481. *Hominis, inquit, virtus humana nature præ-*  
*stan-*

stantia perfectior est. Secundum vitam verò perfectior est, si felix fuerit. Similiter & Hippodamus Thurius in L. de Felicitate apud Stobaeum l. c. p. m. 479. Perfectorum, dicit, hominum discrimina duo sunt. Nam aliqui ipsorum naturâ perfecti sunt: alii genere vitæ. Naturâ perfecti, qui boni tantum sunt, i. e. virtutem possidentes. Virtus enim uniuscunq; naturæ excellentia & perfectio est. -- -- -- Caterum genere vitæ perfecti sunt, qui non solum boni, sed felices etiam fuerint. Felicitas namque perfectio est humane vitæ. Vita autem humana ex multis actionibus consistit; at felicitas actiones absolvit. H. I. Atque hinc apparet Voluptatem Animi S. B. dici haud posse.

§. VIII. Denique (3) S. B. habet Bonitatem & omnem Perfectionem ex se ipsò non autem ab aliò. Cum enim sit ἀνταρπνὴς, nullâ re aliâ indiget, I. Ethic. cap. 5. adeoque omnem suam perfectionem ex se ipso habet. Eleganter Seneca: Summum, inquit, Bonum extrinsecus instrumentum non querit, domi colitur, ex se totum est; Epist. IX. Confer. L. I. M. M. cap. 2. Ast verò Voluptas Animi Bonitatem ex se ipsò non habet, sed ab eò, ex quò est, eandem consequitur. Cum enim Voluptas tam bonis, quàm malis insit, nec minùs turpes dedecus suum, quàm honestos egregia delectant, teste Seneca L. de Vitâ Beatâ cap. 8. Hinc illa tantum Voluptas bona dici merebitur, quæ ex actione percipitur honestâ & bonâ; mala autem quæ ex malâ & vituperabili. Sua cuiusq; functionis muneris voluptas est. Atq; ea quidem, quæ bonæ propria est, bona est: quæ malæ, vitiosa: nam & cupiditates rerum honestarum sunt laudabiles, turpium vituperabiles, inquit, Aristoteles L. X. Ethic. cap. 5. Consentit Marsilius Ficinus, egregius Platonis Interpres & Commentator, Comment. in Platonis Philebum cap. 36. ita scribens: Voluptates conferenda sunt ad objectum, quod

quod delectat: si hoc revera bonum, voluptas bona, contra mala. Confer. *Alexander Aphrodis.* L. IV. Natur. Quæst. cap. 17. Sed hæc de Re pluribus aliâ occasione dicemus, sufficit nobis hæcenus breviter ostendisse, quod S. B. nec Voluptatis Animi nomen sustinere valeat. Licet autem Voluptas S. B. non sit, Consequens tamen ejus & individuus quasi Comes existit. Non secus enim atque umbra corpus & dies Solis sequitur Exortum; ita Voluptas Felicitatem comitatur. Quâ de re egregiè differit *Aristoteles* L. X. Ethic. passim. Cui tamen propterea falsò *Episcopus Caserta* & alii tribuerunt, quod ipsam S. B. essentiam in Voluptate posuerit, aliud enim est S. B. aliud Consequens ejus, non illud, sed hoc Philosophus noster dixit esse Voluptatem. Imò contrarium etiam liquidò apparet ex tribus illis Rationibus, quibus L. X. Ethic. cap. 2. contra *Eudoxum* probat Voluptatem S. B. dici haud posse. De cæterò prolixè Philosophum nostrum contra hos defendit *Franciscus Piccolomineus* Gradu IX. Philosophiæ de Moribus cap. 20. & 21.

§. IX. Non sufficit autem ostendisse Voluptatem S. B. non esse, nisi & insimul præcipuas Contradicientium Rationes, quibus contrariam suam hæc de re sententiam probare & tueri conantur, enervaverimus. Radicitùs enim falsæ Opiniones unà cum fundamentis suis, quibus innituntur, extirpandæ sunt, ut tantò clariùs Veritatis Lumen illucescat. Vid. *Aristoteles* L. VII. Ethic. cap. 15. & I. Eudem. cap. 3. Sunt autem præcipua **EUDOXI & ALIORUM ARGUMENTA**, quæ leguntur apud *Aristot. lem* L. X. Ethic. cap. 2. quæque *Plato* jam in *Philebo* sibi refutanda sumpsit, sed ut ostendit *Aristoteles* l. c. & ex Eò *Franciscus Piccolomineus* Gradu IX. Philosoph. de Moribus cap. 17. minùs sufficienter, sequentia.

Ini-



Initiò ita argumentatur: *Quod ab omnibus expetitur, id est optimum & citra dubium Summum Bonum; Sed maxime expetitur Voluptas ab omnibus animalibus, tam εὐδογῶς quàm ἀλογῶς: Ergo erit Summum Bonum.* Verùm hoc ipsò argumentò Evdoxus propria cedit Vineta: Ab omnibus enim animalibus si appetitur Voluptas, non potest in eâ locari S. Hominis B. hoc enim hominis proprium esse, eique quâ tali competere paulò ante ostendimus. Laudat equidem *Aristoteles* I. Ethic. cap. I. illam Boni definitionem à VETERIBUS traditam, quâ illud dixerunt id esse, *quod omnia appetunt*: Attamen quod egregiè observat, & solidissimis aliquot Rationibus illustrat Vir Clarissimus & Excellentiss. *Dominus M. Paulus Rabe*, in Almâ hâc nostrâ Regiomontanâ Græc. Ling. Professor Ordin. celeberrimus, Fautor honoratissimus, in Disputat. quondam Anno 1682. hâc super Definitione habitâ §. III. Aristoteles hanc laudatam Boni descriptionem non de S. B. sed de Bonò generatim sumptò vult intellectam. Adeoque major Propositio in aliatò argumentò indubitato vera haud erit, neque se in illâ Veterum Boni descriptione fundare poterit. Equidem novimus insuper, quod aliqui Doctorum Virorum, veluti *Eustratius* Commentar. in I. Ethic. cap. I. p. m. 6. Boëthius Lib. III. de Consol. Philosoph. Prosa II. p. m. 1055. & alii, prædictam Boni descriptionem S. etiam Bono applicare soleant; at verò tum loquuntur de Summo Bono absolutè & simpliciter tali, sive Divinò, quod est ipse Deus, id enim verba prædictorum Autorum clarè indigitant; nobis verò hâc locò non est sermo de Summò Bonò Divinò, sed de Summò Bonò Humanò, quod Summum dicitur in suò genere, videli-

C

cet

cet in genere Actionum Humanarum, Hominique proprium existit. Præterea autem facile apparet nec Majorem Propositionem adeò simpliciter & universaliter veram esse, quippe quæ multis Instantiis infringi potest, & vitam, & alimenta, & somnum, & quæ his sunt similia, omnia Animantia appetunt, nemo tamen in his S. B. collocabit. Limitamus igitur Majorem Propositionem hõc modò: Quodcunque ab omnibus expetitur, *ut ultimum & perfectissimum*, id est S. B. Ita verò Minor falsa existit, Voluptates enim non propter se, nec ultimò expeti, paulò ante probatum dedimus.

§. X. Alterum Evdoxi Argumentum hoc est: *Oppositorum opposita sunt consequentia. Atque dolor est Summum Malum, nihil enim homo magis fugit, quam Dolorem: Ergo Voluptas erit Summum Bonum.* Verùm infirmò admodum & hæc ratio nititur talò. Nam (1.) axioma illud Topicum Majori locò positum, non est omninò & universaliter verum. Opponuntur sibi sanè Prodigalitas & Avaritia, nec tamen cum ista sit vitium, hæc è vestigiò Virtus existit, aut cum ista mala sit, hæc bona erit. Deinde (2) falsum est Dolorem esse Summum Malum, quodque Homo nihil magis fugiat, quam Dolorem. Videmus sanè Pueros (in quâ potissimùm ætate nondum à Consuetudine depravatâ naturalis Propensio maximè elucescit, præsertim si excelsiori animò sint præditi,) si ad aliquam præclaram Artem se contulerint, ita incitare & inflammare Studium suum, ut nihil fieri queat ardentius: Ita porrò Labores omnes, Æstum, Frigus, Famem, Sitim, patienter ferre ac pro nihilò putare, ut sensu propemodum carere videantur. Sed etiam ab honestis Viris turpes Actiones magis respuuntur, quàm Dolores, imò hos avidè nonnunquam

videmus concupisci, veluti in Bellis pro Salute Patriæ susceptis & similibus. *Quid minus est dignum*, inquit, Cicero Lib. II. Tuscul. Qq. num. 6. pag. m. 137. Tom. IV. Oper. *quam tibi quidquam pejus videri dedecore, flagitiô, turpitudine? quæ ut effugias, quis est non modò recusandus, sed ultrò appetendus, subeundus, excipiendus dolor?* & Num. 29. pag. m. 143. *Inter omnes hoc constat, nec doctos homines solùm, sed etiam indoctos, Virorum esse Fortium & Magnanimorum & Patientium & humana Vincentium, toleranter dolorem pati: nec verò quisquam fuit, qui eum, qui ita pateretur, non laudandum putaret.* Non est igitur Dolor Summum Malum, seu tale quid, quod semper Homini omnium maximè fugiendum. Cæteræ Eudoxi, ut & Aliorum Rationes non sunt tanti momenti, ut & Tempus & Chartam in iis refutandis operosè infumamus; quin potius firmum certumque manet, nec Corporis, nec Animi Voluptatem S. B. H. dici posse. De cæterò, qui plura hâc de Quæstione legere cupit, adire poterit *Flaminium Nobilium* L. I. de Hominis Felicitate cap. 6. & L. I. de verâ ac falsâ Voluptate. *Franc. Piccolomineum* Gradu IX. Philosophiæ de Moribus cap. 15. 17. 18. 19. & seqq. *Balthas. Meisnerum* in Dissertat. de S. B. cap. I. Quæst. 8. *Wolfg. Heiderum* Part. I. Philosophiæ Moralis p. m. 89. seqq. *Philosophiam Burgundicam Vet. & Nov.* quæ aliàs *Joh. Bapt. du Hamel* tanquam Autori suo tribuitur L. III. Disput. III. Quæst. I. Conclus. I. pag. m. 582. & seqq. Tom. I. *Joh. Gabr. Boyvin* Part. IV. Philosophiæ Scoti, quæ est de Morali Scientiâ Part. I. Disput. I. cap. 3. Quæst. 4.

Conclus. 2. p. m. 58. & alios.

S. D. G.

**U**T fumus transit, sic transit foeda VOLUPTAS;  
Transcat in Seros ast TUA FAMA Dies.

*Ita Pereximio DN RESP. Auditori suo solertissimo  
propediem Theologicam quoq; Cathedram  
conscensuro ominatur*

**BERNHARDUS VON SANDEN,**  
S.Theol. D. & Prof. Ordin.

---

**F**Aucibus expansis assas sperare columbas  
Vanum: Nam vendit cuncta labore Deus.  
Non datur ignavis sacrum conscendere Collem,  
Nectitur illotis Laurea nulla Comis.  
Namque Labor dat virtutem, virtus dat Honorem;  
Hâc scalâ sursum scandere cuique licet.  
Neque tuis studiis aliam Te quærere metam,  
Pulpita, quæ doctè scandis, *Amice*, docent.  
Felix Conatus laudandos hosce sequatur  
Successus, calidò comprecor ex animò.

PRÆSES.

---

**M**ulsis quàm dulcis, quod sit Tua sola Voluptas  
Servire, ostendis, dum Pindi pulpita scandis.  
Pergito scrutari porrò Penetralia Phœbi,  
Sic tandem Divus donabit præmia Apollo.

*Frater fratri posuit*

**HENRICUS Friederich/**  
Phil & L. Stud.

§ ( o ) §

Coll. diss. A. 112, misc. 53